

1571

geretur, indeque e recens de hoste allatis nuntiis firmiora consilia caperentur. Itaque pridie kalen. octobris, Corcyraeo freto trajecto, ad Gomenitias viginti a Corcyra passuum millibus se contulere. Ibi adverso vento triduum subsistere coacti, ab Austriaco lustrata classe, singillatim remiges, tormenta, ac copiae recensentur; die noctuque continenti sclop-
porum dispositione milites virtutis periculum faciunt. Eo in exercitationis genere cum ingens sulphurei pulveris vis efflueret, una die ducentis circiter cadis insumptis, in temere executientes edictum, gravissimis propositis poenis, pronunciatur. Dum vero omnia ad iter comparantur, res accidit, quae ingentia coepta pene cuncta interturbavit. Nam in Andreae Calergii, Cretensis trierarchi, triremi a Mutio Tortona, regiae cohortis, quae sub Sanctae Florae dynasta merebat, praefecto, viro turbidi atque inquieti ingenii, contentione atque certamine exorto, cum dissonus clamor ad Venerii aures, qui non longe aberat, pervenisset, statim suae triremis ductorem, mox maris magistrum, ac socios nauticos ad tumultum sedandum, ferocesque Mutii ac militum compescendos spiritus mittit. At is, pugno in os ministri impacto, concitatos milites in reliquos acuit, contumeliis insuper, ac probris onerat, neque Veneto nomini parcat. Nonnulli ex comitibus vulnerati, sanguineque respersi Venerium extemplo adeunt. Ille indignum imperatoris nomine, indignum Reipublicae maiestate facinus, intolerandumque arbitratus, in classe sibi commissa pessimo exemplo inulta haec perpetrari, ut reliquorum in posterum temeritatem severitate disciplinae reprimeret, praefectum ac socios comprehensos, suae triremis antennae suspendi imperavit. Ea re vehementer commotus Austriacus, irae impatiens fremere, violatum imperii jus, praereptam auctoritatem, in sibi subjectos, ipso insciente, saevitum; id nequaquam passurum.

Mutii Tortona et sociorum audacia.

Mutius Tortona et socii Venerii iussu antennae suspenduntur.

Joannis Austriaci ob Mutii necem perturbatio.

Itaque statim concilium suorum indicit; Columnam advocat; sententias exquirat. Cuncti Venerii factum detestantur; imminutam auctoritatis maiestatem, proculcatam dignitatem; tantam rem inultam non permittat. Aloysius Requesenius, ac Joannes Andreas Auria acres illi in Venerium stimulos addunt. Tum Austriacus, quid sentiret, a Columna

inna